

SERMO CCLXI¹.

In die quadragesimo Ascensionis Domini, I.

Habitus Carthagine in basilica Fausti.

I. RESURRECTIO Domini, spes nostra: ascensio Domini, glorificatio nostra. Ascensionis enim hodie solemniam celebramus. Si ergo recte, si fideliter, si devote, si sancte, si pie ascensionem Domini celebramus, ascendamus cum illo, et sursum cor habeamus. Ascendentes autem non extollamur, nec de nostris quasi de propriis meritis præsumamus. Sursum enim cor habere debemus, sed ad Dominum. Sursum enim cor non ad Dominum, superbia vocatur: sursum autem cor ad Dominum, refugium vocatur. Illi enim dicimus qui ascendit: « Domine, refugium factus es » nobis². » Resurrexit enim, ut spem nobis daret, quia resurgit quod moritur: ne moriendo desperamus, et totam vitam nostram morte finitam putaremus. Solliciti enim eramus de ipsa anima; et ille nobis resurgendo et de carne securitatem dedit. Ergo ascendit, quis? Qui descendit. Descendit, ut sanaret te: ascendit, ut levaret te. Cadis, si levaveris te: manes, si levaverit te. Sursum ergo cor, sed ad Dominum, refugium est: sursum cor, sed non ad Dominum, superbia est. Dicamus ergo illi resurgenti: « Quoniam tu es, Domine, spes mea: » ascendenti autem, « Altissimum posuisti refugium tuum³. » Quomodo enim

¹ Alias de Diversis 12. — ² Psal. LXXXIX, 1. — ³ Psal. xc, 9.

ad eum cor sursum habentes, superbi erimus, qui propter nos humilis factus est, ne superbi remaneremus?

II. Deus Christus, hoc semper: nunquam hoc desinet, quia nunquam coepit. Si enim per gratiam ejus aliquid incipit, quod nunquam desinat; ille quomodo desinet, qui nunquam coepit? Quid est quod incipit, et nunquam desinet? Immortalitas nostra initium habebit, finem non habebit. Non enim jam habemus, quod cum habere coeperimus, non amitemus. Semper ergo Deus Christus. Et qualis Deus? Quæris qualis? Patri æqualis. Noli ergo quærere in æternitate qualitatem, sed felicitatem. Qualis Deus Christus, cape, si potes. Ecce dico, non te fraudabo. Quæris qualis Deus Christus? Audi me, imo audi mecum: simul audiamus, simul discamus. Non enim quia loquor et vos auditis, ideo vobiscum non audio. Quæris ergo, cum audis, Deus est Christus, Qualis Deus Christus? Audi mecum: Non, inquam, me audi, sed mecum. In hac enim schola omnes sumus condiscipuli. Cœlum est cathedra magistri nostri. Audi ergo qualis Deus Christus. « In principio erat Verbum. » Ubi? « Et Verbum erat apud Deum¹. » Sed verba quotidie solemus audire. Noli sic cogitare, quomodo soles audire, « Deus erat Verbum. » Qualis quæro. Nam ecce jam Deum credo: sed qualis Deus sit, quæro. « Quærite faciem ejus semper². » Nemo quærendo deficiat, sed proficiat. Proficit quærens, si pietas quærat. Quomodo quærit pietas, quomodo vanitas? Pietas quærit credendo, vanitas litigando. Si enim litigare mecum velis, mihi que dicere: Quem Deum colis? Qualem Deum colis? Ostende mihi quod colis: respondebo, Etsi est quod ostendam, non est cui.

III. Nec ego audeo dicere, jam me cepisse quod quæris. Ingredior enim, quantum possum, post vestigia illius

¹ Joan. i, 1. — ² Psal. civ, 4.

tanti athletæ Christi, apostoli scilicet Pauli dicentis : « fra-
 » tres, ego me ipsum non arbitror apprehendisse¹. Ego
 » me ipsum : Ego, » quid est, et me ipsum? » Ego qui
 » plus omnibus illis laboravi. » Novi, Apostole ; quomodo
 dicas, « Ego. » Expressio est, non elatio. Nam vis audire
 quomodo dicat, « Ego? » Cum dixisset : Plus omnibus
 » illis laboravi : » et quasi nos ad illum, Quis? et ille ad
 nos : « Non ego autem, sed Dei gratia mecum². » Ille ergo
 cum quo tanta gratia Dei erat, ut posterius vocatus plus
 præcedentibus laboraret ; dicit tamen : « Fratres, ego me
 » ipsum non arbitror apprehendisse. » Ibi ego, ubi non
 apprehendit. Humanæ quippe infirmitatis est non apprehendere.
 Ubi autem levatus est in tertium cœlum, et audivit ineffabilia
 verba, quæ non licet homini loqui, non dixit : « Ego. » Sed
 quid dixit? « Scio hominem ante » annos quatuordecim³.
 Scio hominem : » et ipse homo erat qui loquebatur, et
 quod in eo factum est, quasi alterum fecit, ideo non defecit.
 Noli ergo contendere, noli litigare, exigendo a me
 qualem Deum colo. Non enim idolum est, et digitum extendo,
 et dico tibi : Ecce Deum quem colo : aut aliquod fidus est,
 aut aliqua stella, aut sol, aut luna ; et extendo digitum
 in cœlum, et dico : Ecce quod colo. Non est quo digitus
 extendatur : sed est quo mens extendatur. Vide ipsum non
 comprehendentem, et tamen quærentem ; sequentem, inhiantem,
 suspirantem, desiderantem : vide illum, quid intendat
 vide, ad Deum suum, utrum digitum, an vero animum.
 Quid ait? « Non » me arbitror apprehendisse. Unum autem, quæ retro
 » oblitus ; in ea quæ sunt ante extentus, secundum intentionem
 sequor ad palmam supernæ vocationis Dei » in Christo⁴.
 Sequor, » inquit : ambulo, inquit, in via

¹ Philip. III, 13. — ² I Cor. XV, 10. — ³ 2 Cor. XII, 2. — ⁴ Philip. III, 13, 14.

sum. Sequere, si potes : simul ad patriam veniamus, ubi non a me quæras, nec ego a te. Simul ergo modo credendo quæramus, ut simul postea videndo gaudeamus.

IV. Nam quis tibi ostendit, qualis sit Deus Christus? Ecce quod dignatus est dicere per servum suum, dicat et per istum servum suum, conservis meis, servis suis. Dicitum est tibi : « In principio erat Verbum. » Quærebam ubi esset, responsum est : « Verbum erat apud Deum, » Et ne verba contemneres ex consuetudine locutionis humanæ, audisti, « Deus erat Verbum. » Adhuc quæris qualis Deus? « Omnia per ipsum facta sunt. » Ama illum, quidquid amas, ab illo est. Non amemus creaturam, neglecto Creatore : sed attendamus creaturam, et laudemus Creatorem. Non tibi possum ostendere Deum meum : ostendo quæ fecit, recolo quæ fecit. « Omnia per ipsum facta sunt. » Fecit nova non novus ; fecit temporalia sempiternus ; fecit mutabilia, qui nescit mutari. Facta inspice, lauda factorem : crede, ut munderis. Videre enim vis? Bonam rem, magnam rem vis : hortor, ut velis. Videre vis? « Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt¹. » Prius ergo cogita de corde mundando : hoc habeto negotium, ad hoc te advoca, insta huic operi. Quod vis videre mundum est, immundum est unde vis videre. Cogitas Deum quasi aliquam istorum oculorum immensam vel multiplicem lucem, auges tibi spatia quanta vis : non ponis finem ubi non vis, ponis ubi vis. Phantasmata sunt ista cordis tui, immunditia est ista cordis tui. Tolle, abjice. Si terra tibi in oculum caderet, et velles ut ostenderem tibi lucem, prius tui oculi quærerent mundatorem. Tantum immunditiæ est in corde tuo : ibi avaritia non parva immunditia est. Congeris quod tecum non tollas. Nescis quia

¹ Matth. V, 8.

cum congeris, ad cor tuum lutum trahis? Unde videbis ergo quod quæris?

V. Tu mihi dicis: Ostende mihi Deum tuum. Ego tibi dico: Attende paululum ad cor tuum. Ostende, inquis, mihi Deum tuum. Attende, inquit, paululum ad cor tuum. Quidquid ibi vides quod displicet Deo, tolle inde. Venire ad te vult Deus, Dominum ipsum Christum audi: « Ego » et Pater veniemus ad eum, et mansionem apud eum » faciemus¹. » Ecce quid promittit Deus. Si ego promitterem venturum me in domum tuam, mundares eam: Deus in cor tuum venire vult, et piger es ei domum mundare? Non amat habitare cum avaritia, cum muliere immunda et insatiabili, cui tu jubenti serviebas, et Deum videre quærebas. Quid fecisti, quod Deus jussit? Quid non fecisti, quod avaritia jussit? Quid fecisti, quod Deus jussit? Ego ostendo quid habitet in corde tuo, qui vis videre Deum. Hoc enim dixeram: Est quod ostendere, sed cui non est. Quod Deus jussit, quid fecisti? Quod avaritia jussit, quid distulisti? Jussit Deus ut nudum vestires, tremuisti: jussit avaritia ut vestitum expoliare, insanisti. Si fecisses quod Deus jussit, quid tibi dicam, haberes illud et illud? Ipsum Deum haberes. Si fecisses quod Deus jussit, Deum haberes. Fecisti quod avaritia jussit, quid habes? Scio, dicturus es mihi: Habeo quidquid abstuli. Ergo auferendo habes. Habes aliquid apud te, qui perdidisti te? Habeo, inquis. Ubi, ubi, rogo te? Certe aut in cubiculo, aut in saccello, aut in arca: nolo amplius dicere. Ubi cumque habes, modo certe tecum non habes. Certe modo cogitas in arca te habere: forte periit, et nescis: forte cum redis, non invenis quod dimisisti. Cor tuum quæro: ibi quid habeas, interrogo. Ecce im-

¹ Joan. xiv, 23.

plesti arcam tuam, et fregisti conscientiam tuam. Vide plenum: disce esse plenus. « Dominus dedit, Dominus » abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum¹. » Nempe omnia perdiderat. Unde ergo istas gemmas laudis Domino proferebat?

VI. Munda ergo cor, quantum potes: id age, id operare. Et ut ille mundet ubi maneat, roga, supplica, humiliare. Non capis: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, » et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso » vita erat; et vita erat lux hominum: et lux in tenebris » lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt². » Ecce quare non capis. « Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam » non comprehenderunt. » Quæ sunt tenebræ, nisi opera mala? Quæ sunt tenebræ, nisi cupiditates malæ, superbia, avaritia, ambitio, invidentia? Omnia ista tenebræ sunt: ideo non comprehendis. Nam lux lucet in tenebris: sed da qui comprehendat.

VII. Vide ergo, ne forte hoc quomodocumque possis accipere: « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. » Per hominem Christum tendis ad Deum Christum. Multum est ad te Deus: sed homo factus est Deus. Quod longe erat a te, per hominem factum est juxta te. Ubi maneat, Deus est: qua eas, homo est. Idem ipse Christus, et qua eas, et quo eas. Ipse ergo « Verbum caro factum » est, et habitavit in nobis. » Assumpsit quod non erat, non amisit quod erat. Apparebat homo, et latebat Deus. Occisus est homo, et offensus est Deus: sed resurrexit homo, et inventus est Deus. Cogita ergo quanta fecit ut Deus, quanta passus est ut homo. Occisus est, sed non in Divinitate: ipse Christus occisus est. Non enim duo, Deus

¹ Job. 1, 21. — ² Joan. 1, 1-5.

et homo; ut jam non faciamus vel noverimus Trinitatem, sed quaternitatem. Homo quidem homo, et Deus Deus; sed totus Christus homo et Deus: ipse ergo Christus homo et Deus. Quomodo tu homo corpus et animus: sic totus Christus homo et Deus. Ergo totus Christus, caro, anima, et Deus. Idem ipse aliquid dicit, quod ad Deum pertinet; aliquid dicit, quod ad animam pertinet; aliquid dicit, quod ad carnem pertinet: totum ad Christum pertinet. Quid dicit ut Deus? « Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso. Quaecumque Pater » facit, hæc eadem et Filius facit similiter¹. Ego et Pater » unum sumus². » Quid dicit Christus secundum animam suam? « Tristis est anima mea usque ad mortem³. » Quid dicit Christus secundum carnem? « Solvite templum hoc, » et in triduo suscitabo illud⁴. Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere⁵. » Hæc sunt thesauri sapientiæ et scientiæ.

VIII. Certe tota Lex in duobus præceptis pendet, « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et » ex tota anima tua, et ex tota mente tua; et diliges » proximum tuum tanquam te ipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ⁶. » In Christo habes totum. Deum tuum vis diligere? Habes in Christo. « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, » et Deus erat Verbum. » Proximum vis diligere? Habes in Christo? « Verbum caro factum est, et habitavit » in nobis. »

IX. Mundet nos gratia sua: mundet nos opitulationibus et consolationibus suis. Fratres mei, per ipsum et in ipso obsecro vos, in bonis operibus abundetis, in misericordia, benignitate, bonitate. Cito dimittite quod in vos peccatur.

¹ Joan. v, 19-26. — ² Id. x, 30. — ³ Matth. xxvi, 38. — ⁴ Joan. ii, 19. — ⁵ Luc. xxiv, 39. — ⁶ Matth. xxii, 37-39.

Nemo teneat iram adversus alium, ne intercludat sibi orationem ad Deum. Hæc enim omnia, quia in hoc sæculo sumus, quia etsi proficimus, etsi juste vivimus, sine peccato hic non vivimus. Non enim peccata sola sunt illa quæ crimina nominantur, adulteria, fornicationes, sacrilegia, furta, rapinæ, falsa testimonia: non ipsa sola peccata sunt. Attendere aliquid quod non debebas, peccatum est: audire aliquid libenter, quod audiendum non fuit, peccatum est: cogitare aliquid, quod non fuit cogitandum, peccatum est.

X. Sed dedit Dominus noster post illud lavacrum regenerationis alia quotidiana remedia. Quotidiana nostra mundatio, Dominica oratio. Dicamus, et verum dicamus, quia et ipsa eleemosyna est: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris¹. Date » eleemosynas, et omnia munda sunt vobis². » Memento, fratres, ad dexteram staturis quid dicturus est. Non dicet: Illa et illa magna fecistis: sed, « Esurivi, et dedisti mihi manducare. » Ad sinistram staturis non est dicturus: Illa et illa mala fecistis: sed, « Esurivi, et non dedisti mihi manducare³. » Illi pro eleemosyna, in vitam æternam: isti pro sterilitate, in ignem æternum. Modo eligite aut dextram aut sinistram. Nam rogo vos, quam habere poterit spes salutis piger in remediis, creber in morbis? Sed parvi morbi sunt? Congerie premunt. Minora peccata sunt quæ habeo. Non sunt multa? Nam quomodo minora sunt, quæ premunt, obruunt: quid minutius pluviam guttis? Flumina implent. Quid minutius granis tritici? Horrea implent. Tu attendis quia minora sunt, et non attendis quia multa sunt. Attendere nosti: numera, si potes. Sed plane quotidianum remedium dedit Deus.

¹ Matth. vi, 12. — ² Luc. xi, 41. — ³ Matth. xxv, 35-40.

XI. Magna misericordia ejus qui « Ascendit in altum, et » captivavit captivitatem¹. » Quid est, « Captivavit captivitatem? » Occidit mortem. Captivitas captivata est : mors mortua est. Quid ergo? Hoc solum fecit qui « Ascendit in altum, et captivavit captivitatem? » Ergo dimisit nos? « Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi². » Ergo illud attende : « Dedit dona » hominibus³. » Aperi sinum pietatis, excipe donum felicitatis.

SERMO CCLXII⁴.

In diebus Ascensionis Domini, II.

Habitus in basilica Leontiana.

I. DOMINUS Jesus, Patris unigenitus et gignenti cœternus, pariter invisibilis, pariter immutabilis, pariter omnipotens, pariter Deus; propter nos, ut nostis, et accepistis, et tenetis, factus est homo, forma assumpta humana, non amissa divina : potens occultus, infirmus manifestus; sicut nostis, natus est, ut renasceremur; mortuus est, ne nos in æternum moreremur. Ille continuo, id est, die tertio resurrexit : nobis resurrectionem carnis in fine promisit. Exhibuit se Discipulorum oculis videndum, manibusque tractandum; persuadens quod factus erat, non auferens quod semper erat. Conversa-

¹ Psal. LXVII, 19. — ² Matth. XXVIII, 20. — ³ Luc. LXVII, 19. — ⁴ Alias de Diversis 13.

tus est cum eis diebus quadraginta, sicut audistis, intrans et exiens, manducans et bibens; non jam indigentia, sed totum potentia : et manifestans eis carnis veritatem, in cruce infirmitatem, a sepulcro immortalitatem.

II. Hodiernum ergo diem ascensionis ipsius celebramus. Occurrit autem huic Ecclesiæ alia vernacula solemnitas. Conditoris basilicæ hujus sancti Leontii hodie depositio est. Sed dignetur obscurari stella a sole. Ergo de Domino potius, quod cœperamus, loquamur. Gaudet bonus servus, quando laudatur Dominus.

III. Hodierno ergo die, hoc est, quadagesimo post resurrectionem suam, Dominus ascendit in cœlum. Non vidimus : sed credamus. Qui viderunt prædicaverunt, et orbem terrarum impleverunt. Scitis qui viderunt, et qui nobis indicaverunt : de quibus prædictum est : « Non sunt » loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces » eorum. In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines » orbis terræ verba eorum¹. » Ergo et ad nos venerunt, et nos de somno excitaverunt. Ecce celebratur hodiernus dies toto orbe terrarum.

IV. Recolite Psalmum. Cui dictum est : « Exaltare super cœlos Deus²? » Cui dictum est? Numquid Deo Patri diceretur : « Exaltare, » qui nunquam est humiliatus? Exaltare tu; tu qui fuisti in ventre matris inclusus; tu qui in illa factus es, quam fecisti; tu qui in præsepi jacuisti; tu qui ubera tanquam parvulus in vena carnis suxisti; tu qui portans mundum, portabaris a matre : tu quem Simeon senex parvulum agnovit, magnumque laudavit : tu quem vidua Anna vidit sugentem, et cognovit omnipotentem : tu qui esuristi propter nos, sitisti propter nos, fatigatus es in via propter nos : (Numquid esurit panis, aut sitit fons, aut fatigatur via?) tu qui omnia ista pertulisti prop-

¹ Psal. XVIII, 4, 5. — ² Id. LVI, 12.

ter nos : tu qui dormisti, et tamen non dormitas, custodiens Israël : postremo, tu quem vendidit Judas, quem Judæi emerunt, et non possederunt : tu apprehense, ligate, flagellate, spinis coronate, in ligno suspense, lancea percusse, tu mortue, tu sepulte : « Exaltare super » cœlos Deus. » Exaltare, inquit, exaltare super cœlos, quia Deus es. Sede in cœlo, qui pependisti in ligno. Judex expectaris venturus, qui expectatus est judicatus. Quis ista credat, nisi illo faciente, qui erigit de terra inopem, et de stercore exaltat pauperem¹? Ille ipse inopem carnem suam erigit, et collocat eam cum principibus populi sui, cum quibus judicaturus est vivos et mortuos. Cum eis collocavit hanc inopem carnem, quibus dicit : « Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israël². »

V. « Exaltare ergo super cœlos Deus. » Jam factum est, jam impletum est. Sed dicimus : Quomodo futurum prædictum est : « Exaltare super cœlos Deus ; » non vidimus, sed credimus : ecce ante oculos nostros est quod sequitur : « Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram » gloria tua. » Non credat illud, qui non videt istud. Quid est enim, « Et super omnem terram gloria tua? » nisi super omnem terram Ecclesia tua, super omnem terram matrona tua, super omnem terram sponsa tua, dilecta tua, columba tua, conjux tua. Ipsa est gloria tua. « Vir » quidem, ait Apostolus, non debet velare caput, cum » sit imago et gloria Dei : mulier autem gloria viri³. » Si mulier gloria viri, Ecclesia gloria Christi.

¹ Psal. cxii, 7. — ² Matth. xix, 28. — ³ 1 Cor. xi, 7.

SERMO CCLXIII¹.*De Ascensione Domini, III.*

I. GLORIFICATIO Domini nostri Jesu Christi resurgendo et ascendendo completa est. Resurrectionem ipsius Paschæ Dominico celebravimus : ascensionem hodie celebramus. Festus nobis dies uterque. Ideo enim resurrexit, ut nobis exemplum resurrectionis ostenderet : et ideo ascendit, ut nos desuper protegeret. Habemus ergo Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum prius pendentem in ligno, nunc sedentem in cœlo. Pretium nostrum dedit, cum penderet in ligno : colligit quod emit, cum sedet in cœlo. Cum enim omnes collegerit, quos utique per tempora colliget, in fine temporis veniet, et quomodo scriptum est : « Deus manifestus veniet² : » non quemadmodum primitus venit occultus, sed sicut dictum est, manifestus. Occultum enim oportebat eum venire, ut judicaretur : manifestus autem veniet, ut judicet. Si enim prius manifestus venisset, judicare manifestum quis auderet? Quandoquidem dicit apostolus Paulus : « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriam crucifixissent³. » Sed si ille non occideretur, mors non moreretur. Trophæo suo diabolus victus est. Exultavit enim diabolus, quando primum hominem seducendo dejecit in mortem. Seducendo primum homi-

¹ Alias de Tempore 174 et de Diversis 90. — ² Psal. xlix, 3. — ³ 1 Cor. ii, 8.